

1620.

26. ET SEQUENTIBUS DIEBUS MENSIS AUGUSTI. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis SS. & OO., A. 1620 Zagrabiae celebratae Congregationis.

Articuli Generalis Congregationis Uniuersorum Statuum ac Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae, ex edicto Illustrissimi D. D. Comitis Nicolai de Frangepanibus a Thersacz etc. Bani, in libera Regia Ciuitate Montis Graecensis Zagrabiensis, Vigesima sexta et alijs immediate sequentibus diebus Mensis Augusti celebratae, conclusi. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo.

Inprimis Egregij Nicolaus Malenich cum altero Nicolao Thompa, Nuncij ex proxime Praecedenti Congregatione Regni ad Sacram Caesaream Regiamque Maiestatem, Dominum Dominum nostrum clementissimum, ablegati, in forma libelli suae Maiestatis benignam resolutionem ad grauamina ipsorum, cum alijs etiam literis eiusdem suae Maiestatis missilibus exhibuerunt.

Praeterea ex parte eiusdem Sacratissimae Caesariae Regiaeque Maiestatis Reuerendissimus Dominus Leonardus, Episcopus Lauentinus, et Spectabilis ac Magnificus Dominus Gotfridus Sthodler, Confiniorum Regni Croatiae Generalis Capitaneus, nomine autem inclytae Prouinciae Styrae Magnificus dominus Georgius Galler de Suambergh etc. deputati Commissarij, penes Credentiales, apud uniuersos Status ac Ordines praescriptorum Regnorum insliterunt: ut iidem Status ac Ordines, bene ponderato periculoso praesentis temporis statu, insultus ingruentium hostium tam a se, quam uicinarum Prouinciarum Styriae, Carinthiae et Carniolae ceruicibus, coadunatis uiribus, pro auita ipsorum gloria et fidelitate propulsare non intermittant. Et quia iidem Status et Ordines in hisce undequaque saeuientium bellorum turbinibus, communi hosti communibus et consociatis armis et uiribus resistendum esse ducunt, ut intelligant unius salutem et permutationem ex alterius pendere: uolentes de praemissarum inclytarum Styriae, Carinthiae et Carniolae Prouinciarum, auxilio, promptitudine et erga se affectu in futurum etiam ingruente quauis necessitate certi et securi esse, opere pretium esse ducunt, ut haec Regna cum praenominatis Styriae, Carinthiae et Carniolae Prouincijs, mutuam unionis et certae confederationis deuinctionem ineant (saluis tamen semper autoritate, Juribus ac praerogatiuis, tam modernae Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis, tanquam legitimi Regis Hungariae, quam aliorum legitimorum Regum Hungariae ac Sacrae eiusdem Regni Coronae, alijsque uniuersis libertatibus, legibus ac priuilegijs horum Regnorum illesis et in suo uigore permanentibus) Ad quam quidem confaederationem et coadunationem tractandam et ineundam, ad easdem Prouincias destinantur nomine praemissorum Uniuersorum Statuum ac Ordinum horum Regnorum, Reuerendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, nec non Illustrissimi Comites, Dominus Nicolaus de Frangepanibus etc. Banus, et Dominus Thomas Erdeödi, uel in eiusdem absentia Dominus Comes Sigismundus Erdeödi, Generosi item ac Egregij Magister Stephanus Pathachich, Prothonotarius Regni, Gregorius Petheo et Georgius Vrnoczy. Quibus instructio cum plenipotencia agendi, tractandi et concludendi, sub sigillo